



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio LXXVIII. Christus in cruce despectus docet nos omnia terrena despiciere, & solum Deum pura mente sectari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

CONSIDERATIO LXXVIII.

Christus in cruce despectus docet nos  
omnia terrena despiciere, & solum Deum  
purâ mente sectari.

*Vidimus eum, & non erat aspectus, & desideravimus  
eum. Isa. 53. 2.*

I.

Gen. 24. 64.

**C**ùm quondam Rebecca nunc Isâaco desponsata de longè itinere suo videret Sponsum suum adventantem, & sibi in villi habitu, & ut peditem obviantem, advertit Scriptura, quod sine mora de camelo suo in terram se demiserit, honoris sponso suo deferendi causâ & amore; *Rebecca quoque conspecto Isaac, descendit de camelo, & ait ad puerum: Quis est ille homo qui venit per agrum in occursum nobis? Dixitque ei: Ipse est Dominus meus. At illa tollens cito pallium operuit se.*

Anima Christiana! Ecce plus in cruce quàm Isâac, hic typus, ille prototypus, hic servus, ille Dominus universonum pro omnium salute non in typo, sed in veritate crucis in ara immolatus. En Sponsus tuus est: hic, inquam, tibi se obvium exhibet non nudipes tantum, sed & toto corpore nudatus, plagatus, despectus ac novissimus virorum. Proinde, anima mea, descende de camelo superbiæ tuæ, & ad imitationem Rebeckæ te cooperire chlamyde verecundiæ, quia Sponsus tuus, & sponsus sanguinum est. O quàm malè conveniunt Christus JESUS & hic crucifixus & tu? hic in summo contemptu, & tu in honoribus? hic despectus & novissimus virorum, & tu in superliminaribus super te; hic in summis doloribus, & tu in deliciis & mundi intricata vanitatibus? Descende, descende igitur de camelo tuæ superbiæ, arrogantiae & propriæ æstimationis. Descende aspernando presentis sæculi vanitates & illecebras, ac conforma te vitæ & moribus pretiosissimi Redemptoris tui, ut cum ipso frui possis veris cœli deliciis.

2. Spon-

2. Sponsa illa dilecta, ubi Sponsum suum in mensa sua nuptia i accumbentem conspiciata est, ingressa ad eum, unguentum intulit nardinum pretiosissimum, ex cuius odore Sponsus mirum in modum recreatus est: *Dum esset Rex in accubitu suo nardus mea dedit odorem suum.* Cant. 1. 11.

Obserua: Accubitus & mensa nuptialis Christi fuit in cruce, ita expo- nit Glossa interlinearis, & multi alii Interpretum, ibi pascebat, ibi cu- babat in meridie. Esto & tu, anima Christiana, talis bonus odor vir- tutum, & humilis nardus, contemplando & imitando crucifixum Sponsum ac amorem tuum, ut totus tibi, ait S. Augustinus, *figatur in corde, qui totus pro te fixus fuit in cruce.* S. August. lib. de Virg.

Respice proinde sapius in faciem Christi tui, & disce ab eo, quo- modo hic DEus immensa majestatis, ex quo, per quem, & in quo sunt omnia, cuncta hæc terrena despexerit, & tanquam momentum statera, & tanquam guttam roris antelucani aestimaverit. Volebant illum quidem Hebræi, ubi insigni miraculo quinque panibus ordeaceis & duobus piscibus quinque hominum millia satiavit, illum facere Re- gem, sed fugit in montem ipse solus. Supra quod S. Gregorius: *Rex fieri noluit, ad crucis patibulum spontè pervenit, oblatam gloriam culminis fugit, panam probrosæ mortis appetiit, ut membra ejus discerent savoris mundi su- gere &c.* 10. 6. 15. S. Gregor. 1. p. part. c. 3.

3. Jonathas princeps ille regius intimo ac planè tenerrimo Davi- dem prosequatur amore, nam anima ejus quasi glutino cum Davi- dis anima erat compacta in unum. Et ut magis erga Davidem suum demonstraret fidelissimum amorem, proprias suas exuere vestes voluit, easque sincerissimo contradere amico, quia diligebat eum tan- quam animam suam: *Nam expoliavit se Jonathas tunicâ, quâ erat indutus, & dedit eam David & reliqua vestimenta.* 1. Reg. 18. 4.

Jonathas in pluribus tum in vita, tum in morte factus est typus Christi Domini, qui ut suum erga te, anima Christiana, demonstra- ret amorem, non tantum vestes tradidit: *Et super vestem meam miserunt sortem, sed & se ipsum nudum in fatali crucis ligno dirissimis clavis affigendum exhibuit, ut salvaret te ab interitu, & cœleste pararet re- gnum, ex quo per peccatum excideras. Disce ex hoc, si dulcem illum Jonatham nudum & expoliatum vestibus in cruce suffixum aspicias, quomodo ad exemplum illius te oporteat omnia terrena contemnere, Christum nudum sectari, & solum desiderare cœlestia. Audi Docto- rem Gentium: Estote, inquit, imitatores Dei, sicut filii charissimi: Et am- bulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis.* Ephes. 5. 1.

4. Acce-

4. Aecedamus ad ipsum gratiarum fontem, Christum JESUM & hunc crucifixum. Dic, obsecro, Domine JESU & Amor crucifixe, quam ob causam paulò ante mortem tuam tam lamentabili voce pendens in cruce exclamaveris: *Sitio*; An quia *aruit tanquam testa virtus tua, & lingua tua adhaesit faucibus tuis ex defectu cruoris*, quem prope jam omnem in flagellatione & crucifixione profudisti, & proinde humidum illud radicale jam propemodum erat exhaustum? Causam assignat Rupertus Abbas: *Ideo sitiens moritur, ut ostendat nihil esse in mundo, quod sitim expleat*. Lætatus est Jonas super hedera sua lætitiâ magna, sed mox præparavit DEUS vermem, & percussit hedera, & exaruit. Sedit Balthasar in regia mensa, commessatur & tripudiat, interim cervici ejus imminet gladius vindictæ divinæ: *Et eâdem nocte intersectus est Balthasar Rex Chaldaus*. Filii Job genio sub lautissimè indulgent, interim surgit ventus vehemens, qui concussit angulos domûs, *qua corruum oppressit liberos*. O vanitas vanitatum! & omnia vanitas, præter amare JESUM & hunc crucifixum.
5. Salomon collegit & undique corrasit opes, tantâque coacervavit argenti vim, quanta ferè erat lapidum in Jerusalem: *Fecitque ut tanta esse abundantia argenti in Jerusalem, quanta & lapidum*. Alexander Macedo imperium suum adusque mundi fines extendit, à cuius conspectu terra siluit præ timore videlicet tot victoriarum, ut nemo contra eum ne quidem hiscere, aut sinistrum verbum loqui auderet, sed sicut canes coram fortissimo leone conticescerent. Assuerus potentissimus Monarcha centum & viginti septem præfuit provinciis, ob regni gloriam, potentiam, majestatem & immensâs divitias orbi notissimus. Sed ubi nunc sunt viri illi divitiarum? *Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis*. Vera gloria est gloriari in cruce D. N. JESU Christi, propter quem omnia æstimanda ut detrimenta &c.
6. Statuam illam superbam Regis Nabuchodonosoris unicus lapis de monte cadens dejecit, atque confregit: *Et abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus ejus ferreis & fictilibus, & comminuit eos: tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, as, argentum & aurum*. Lapis hic Christum præsignabat (ita Cornelius & alii) & quidem hunc crucifixum, de quo S. Petrus, imò & ipse Christus: *Nunquam legistis in Scripturis: Lapidem, quem reprobaverunt adificantes, hic factus est in caput anguli: à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris?* Rejecerunt quidem Judæi hunc lapidem vivum, ut inutilem pro fundamento Synagogæ suæ, imò & ipsum, tanquam sibi contrarium ad crucis mortem damnarunt, & occiderunt: *Mittamus lignum in panem ejus,*
- Jo 19. 28  
Plal. 2. 6.
- Jonæ 4. 14.
- Dan. 5. 30.
- Job. 1. 18.
3. Reg. 10. 27.
1. Mach. 1. 3.
- Esther. 1. 1.
- Psal. 75. 6.
- Philipp. 3. 7.
- Dan. 2. 34.
- Math. 21. 42.  
1. Petr. 2. 6.
- Jerem. 11. 19.

eius, & eradamus eum de terra viventium, & nomen ejus non memoretur amplius. Sed factus est idem lapis in caput anguli, & contrivit Synagogam & superbam quadrifidam Nabuchodonosoris statuam, hoc est quatuor orbis monarchias, videlicet Chaldæorum, Persarum, Græcorum & Romanorum, ut ex hoc orbis agnoscat universus, quod ille sit universorum Dominus, qui quondam *Renavit à ligno Deus.*

7. Testem hujus veritatis adduco omni exceptione majorem Cæsarum Angliæ & Daniæ Regem. Deambulabat hic aliquando animi recreandi gratia ad littus oceani, ubi ab aula proceribus & adulatoribus (quia *laudator* per anagramma *adulator*) appellatus est Rex Regum omnium potentissimus, qui hominibus, qui mari, qui terræ latè imperaret. Tum Rex tacitus hanc simulans adulationem, sedem in littore collocari jussit, mari dicens & imperans: *Unda: tibi impero, ne pedes meos tangas.* Vix hæc pronuntiaverat, ecce tumultus maris! exurgunt & insurgunt contra Regem fluctus, quibus totus superfundebatur. Tum ille retro progressus, & ad suos conversus: *En, inquit, vos me vocatis Regem Regum, qui terræ marique possim imperare, & tamen hanc undam contra me insurgentem imperio meo cohibere non potui. Est alius Rex & hic JESUS crucifixus, qui solus est Dominus dominantium, hunc veneror, hunc adoro.* Dixit, & Vintoniam profectus, coronam, quam gestabat, capiti imaginis Christi crucifixi ipse propriis manibus imposuit. *Vade, & si spiritus superbiæ te inflat, fac similiter.*

Polydorus  
Virgilius lib.  
7 Hist. Anglic.



CONSIDERATIO LXXIX.

Sanguis Christi patientis crucifixi ab impiis proculcatus, & sicut aqua effusus, quid nobis infinet?

*Sicut aqua effusus sum. Psal. 21. 15.*

I.

**T**hecuitis prudens illa mulier, ut demonstraret Davidi Regi vitam hominum fluxam esse atque evanidam, hoc ei argumentum objecit: *Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur in terram, 2. Reg. 14. 14. qua non revertuntur.* Si Christum in cruce toto corpore faucia-

Ginther Unus pro omnibus.

P p tum